

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

Q V A J A C O

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS, AC DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CELEBERRIMORUM AC CLARISSIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CONSEQUENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA

REG. SCIENT. UNIV. HUNG. PESTIENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBSTERNIT

NOBILIS LADISL. FODOR DE NÁNÁS

NAGY-KÓRÖSIENSIS.

**In Theses adnexas disputabitur in Palatio Univers.
majori die 1834.**

PESTINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMRL.

Die Erfahrung aller Jahrhunderte ist unsere beste Lehrmeisterin, weil sie aus dem Munde aller Zeiten und aller Völker in jedem Falle uns das Beste lehrt. Ohne diese Kenntniß ist kein Arzt des geringsten Beifalles werth, weil die Arzneikunst nicht aus einzelnen Beobachtungen eines einzelnen Mannes, sondern aus den vereinigten und immer wahr gefundenen Beobachtungen aller Zeiten und aller Völker stammt, und weil man durch das Lesen allein der Kenntnisse aller Zeiten mächtig wird.

Zimmermann, von der Erfahrung in der Arzneikunst.

P A T R I O P T I M O -
G E R S O N I F O D O R
D E N Á N Á S

H A S S T U D I O R U M S U O R U M P R I M I T I A S



gratissimus Filius
Auctor.

Nomen *Gvajacum* ab Indico *Gvayacan* derivatur, — a patria quibusdam etiam termino nimis generali lignum *Indicum*, — *sanctum* denique ab aliis dictum fuit.

Mater hujus pharmaci est *Gvajacum officinale*, officineller Gvajak, Pockenholz, arbor in Jamaica, Domingo, St. Thomas, et probabilius etiam in aliis Indiae occidentalis insulis sponte crescens, ad Classem x. ordinem 1. Decandriam nempe monogyniam Systematis sexualis, — Rutaceas Juss. relata; — quam foliolis bijugis obtusis Linn. Sp. pl. p. 546., — foliis fere impetiolaris, bijugatis, obovatis, leniter radiatis, pinnis et ramis dichotomis. Browne nat. Hist. of Jam p. 225. distinctam describunt.

Fuerunt olim, qui inter *lignum Gvajaci* et *lignum Sanctum* vel *palum* distinxerunt, et quidem auctores, qui paulo post Americae detectionem illud, tanquam luis venereae remedium depraedicarunt, lignum Gvajaci ex insula St. Dominici, lignum Sanctum autem ex insula St. Joannis de Portu divite (Porto Ricco) peti innuentes. Horum e numero praecipue sunt: Consalvus Ferrandus, de ligno Gvajaci et Sancto in Luisin. Aphrod. p. 355 ed. L. B. 1728; — Jo. Monardus, de morbo Gall. Luis. p. 791. et Nicol. Monardes, Simpl. med. Vers. Clus. p. 343; et omnes in eo conveniunt, quod lignum sanctum prout odoratius, magisque amarum, ita altero praestantius virtute sit. — Etiam recentissimi Pharmacologi distinctum esse volunt *lignum sanctum* stricte dictum, quod a Gvajaco Sancto Linn. derivant, a *ligno Gvajaci*, a Gvajaco officinali Linn. proveniente, illud levius, colore instructum pallide flavo, virtuteque medica posteriori multo inferius statuentes.

Gvajacum respectu medico multum celebre, utpote cujus cortex, lignum et resina ex trunco exsudans, adparatum medicamentorum ingreditur.

Cortex, cortex Gvajaci, est ponderosus, durus, planus, aliquot linearum crassus externa superficie scabra, fissuris variae directionis, insulas hinc inde squammosas formantibus notata, virescenti-grisea, maculis livido-griseis et luteis variegata, — interna autem grisea vel flavicante, in fragmentis coloris pallide-fusci. Magis hic et acrimonia et amaritie linguam afficit, quam lignum. Resina corticis secundum investigationes a Trommsdorffio institutas a resina ligni penitus differre, vixque alicujus efficaciae, quae potius in materia extractiva amara et acri residere videtur. Quidam corticem ligno efficaciorum habent, et haec est sine dubio causa, quod Linneus in materia medica lignum plane omiserit.

Lignum, lignum Gvajaci, lignum sanctum, Gvajakholz, Pockenholz, Franzosenholz, transfertur ex patria magnis frustis, ponderis quatuor, quinque vel plurium centenariorum, saepe etiam cortice tectis, transversim sectis. Est hoc ponderosum, solidum, coloris hinc inde flavicantis, aliis vero in plagis ex viridi-bruni, tritu odorem spargit debilem, haud inamoenum, saporis est acris. Frusta in media parte habent colorem nigrescenti-viridem (matrix), pallidum in exteriori (alburnum). Media illa pars obscurior durissima, et ponderosissima, grav. spec. 1,333. plurimum resinae continens, flamma ardet vivaci, multum tunc resinae eructans. Quoniam vero lignum valde durum est, in Belgio, Anglia, aliisque quibusdam regionibus in ergastulis instar lignorum tinctoriorum in scobem redigitur, sicque comminutum plerumque officinis venditur, et *rasura*, *scobs* ligni gvajaci, *lignum gvajaci raspatum* audit. Decoctum ligni gvajaci est coloris flavicantis, quod post aliquod tempus turbatum, sedimentum deponit, ex quo Neumann $\frac{1}{2}$ resinosi, et $\frac{1}{3}$ aquosi extracti obtinuit.

Praeparata ligni Gvajaci:

Specierum pro Decocto lignorum, secundum Pharmacop. Austr. antiq. ex ligno Gvajaci, Juniperi, ra-

dicibus Bardanae, et Sassaparillae; secundum Pharmacop. Boruss. ex ligno Gvajaci, et Sassafras, ex radice Bardanae, Saponariae, Liquiritiae, mixtarum, praecipuam constituit partem.

Extractum ligni Gvajaci, evaporatione Decocti saturati obtentum, fusco-nigri coloris, multum resinosum, turbidam cum aqua solutionem sistit.

Resina ligni gvajaci, spiritus vini ope e ligno elicita, coloris obscure fusci, dura, fragilis, vix unquam adhibetur, cum nihil prae resina gvajaci nativa habere, imo vero secundum Trommsdorffium penitus quoad virtutem cum illa convenire, videatur.

Tinctura ligni Gvajaci, ex unciiis ligni 5, cum 24 spiritus vini Unciis parata, colore dilute fusco et sapore acri instructa est.

Resina Gvajaci nativa, in arboribus aetate prorectioribus plerumque per corticem sponte exsudat, sauciata vero arbore copiosior longe profluit. Sponte proveniens virtute praestat alteri arte prolicitae. In massis magnis, informibus, duris, saepe adhuc frustra corticis gerentibus, ad nos advehitur. In externa aëri exposita superficie colorem offert ut plurimum obscure viridem, qui color virescens per fissuras etiam in interiora penetrat. Color caeterum natus resinae rufescenti-fuscus, vel flavo-fusco-virescens est, est nitens, semipellucida, friabilis, odoris proprii, balsamici, calore extricandi, saporis ex dulci amari, acris, grav. spec. 1,205 — 1,228. Pulvis ejus griseo-albus, actione aëris atmosphaerici in virescentem abit. — Praecipuum resina haec sortitur characterem a mutatione coloris sui ab aëre, luce acido nitroso, aut spiritu aetheris nitrici acidulo. Hoc nempe Tincturae resinae hujus adfuso, illa mox colorem induit pulchre azureo-coeruleum, quod mixtum si aqua diluitur, resina gvajaci forma pulveris dilute azureo-coerulei, serius in virescentem vel albo-virescentem mutandi, praecipitatur. Etiam actione gas Chlori, vel Aquae Chlori pulvis resinae gvajaci primo viridem, mox coeruleum, et tandem fuscum assumit colorem; item gas Chlori etiam in tinctura gvajaci coeruleum producit praecipitatum. Color idem coeruleus communicatur pulveri resinae Gvajaci tritu ejusdem cum

colla, vel farina, vel vero amylo. Gummi etiam mimosae aqua solutum frigida pulverem Gvajaci coesio imbuat colore, non item Gummi Tragacanthae. Quae coloris mutatio vi oxygenii produci videtur, nulla enim aëre intercluso producitur. — Resina gvajaci difficiliter solvitur aethere, facilius alcohole, solvitur etiam alcalibus causticis. Olea vero aetherea ac pingua nulla in illam vi solvente pollent; quae ejus proprietates aptum nobis suppeditat medium, adulterationem ejusdem cum colophonio factam investigandi: Oleum nempe terebinthinae temperatura altiori majorem quidem resinae gvajaci quantitatem suscipit, quam tamen sub refrigeratione dimittit, colophonium etiam tunc solutum retinendo. 100. resinae gvajaci partes continent 80. partes resinae purae, reliquae 20. sunt partim materia extractiva, partim materia mucosa, particulae corticis etc. Pulvis resinae gvajaci in fluido quodam medicato ope gummi mimosae vel gummi arabici, vel vitelli ovi suspendi potest.

Praeparata resinae gvajaci:

Sapo gvajacinus paratur lixivio Kali caustici duplo aquae destillatae pondere diluto, bullienti, pulverem resinae gvajaci parvis portionibus sub continua agitatione tamdiu inspergendo, donec ultima hujus portio insoluta remanserit, solutio dein colata, leni calore ad consistentiam massae pilularis redigitur. — Sapo hic colorem offert obscure fuscum in virescentem vergentem, odorem gvajacum redolentem, saporem vero alcalinum, acrem; in spiritu vini et aqua perfecte solvitur.

Tinctura resinae gvajaci, coloris virescenti-fusci, partem unam resinae gvajaci cum sex spiritus vini rectificatissimi portionibus digerendo; — *tinctura vero Gvajaci ammoniata* seu *tinctura Gvajaci volatilis*, coloris obscure fusci, resinam gvajaci cum spiritu salis Ammoniaci vinoso eadem proportionem macerando, obtinetur.

Plus, quam tribus abhinc Saeculis Gvajacum notum, ac contra integram morborum seriem laudatum est. Omnium primo hoc in lue venerea inclaruit, paucis annis serius, quam ex itinere Hispanorum in, la-

diam occidentalem ejusdem nisi prima semina, quod haud probabile, nova tamen spargerentur. Initium celebritatis dedit felix curatio, quam in insula St. Dominici Hispanus quidam superioris Ordinis, qui morbum ab Inda muliere contraxerat, jam doloribus diris detentus, svadente famulo suo Indo, ex hoc ligno in semet experiebat. Eius exemplo praeunte plures alii Hispani eodem morbo contaminati ad idem auxilium fausto successu confugerunt. Quod quum post reditum Hispali ab hisce evulgaretur, hinc per totam Hispaniam et inde per totum reliquum orbem, quem lues occupaverat, fama remedii increbuit. Monardes l. c. p. 341. — Si Belgado: del modo de adoperare el Legno santo. Venet. 1529. — fides, jam Anno 1508 in Hispania ejus usus obtinuit. — Primi vero, qui hoc lignum in Germania commendarunt, fuerunt Anno 1517 Nicol. Poll in Luisin. Aphrod. p. 242. — qui jam tum tria millia hominum eo curatorum memorat. — Anno 1518 Leonh. Schmaus, Luis. p. 333, et Anno 1519. famosus ille Germanus Eques Ulr. ab Hutten, Luis. p. 275. qui postquam ipse ptyalismum undecies frustra tentasset, gvajaco tandem se se sanatum declarat. In Italia Anno 1517 innotuit. Belgado l. c. — Quantam vero ubivis in Europa sensim acquisiverit fiduciam, tam copia ista auctorum, quorum effata Luisinus collegit, significat, quam numerosa eorum cohors, quorum nomina et scripta operose recensuit Böhlin: Dissertatio variae syphilidis therapiae Argenti 1771 §. 8. — Plurimi decoctione ejus cum aqua usi sunt, ita quidem, ut mane et vesperi portionem meracissimi decocti bibere et per reliquum diei tempus debilius seu secundarium, ex largiori copia aquae residuo superfusae, consumere praeciperent. Sub toto curae tempore aegri aëris injuriis se se sollicite subtrahere debuerunt, et post captum meracum liquidum in lecto corpus operiendo, et ope calefacti conclavis sudorem abunde moverunt. Cibus simul, potusque fuit valde tenuis, parvus. Sic ad Huttenii narrationem, scobis ligni libra una cum aquae purae libris octo, per nyctemerum macerata, lento igne per sex horas coquebatur, et hujus Decocti percolati, beneque in ampulla servati libra dimidia bis de die bibebatur, se-

juncto per diem decocto tenui ex residua scobe cum libris octo aquae. Eodem fere redit methodus Decoctum hoc adhibendi a Massa, Luis. l. c. p. 62 sq., et a Boerhavio: de Haen Praelect. in Boerh. inst. pathol. Tom. 5. p. 159. proposita.

Jam eo tempore, quo prima laus ligni hujus, nominatim decocti ejusdem, contra luem veneream personavit, praecones iidem extiterunt praestantiae ejusdem in arthritide et rheumatismo, sed simul monentes in frigida et humida modo diathesi convenire, et in multis non tollere omnino, sed lenire modo malum. Massa Luisin. Aphrod. p. 67. 75. Huttenius Luis. l. c. p. 303. — Ferri Luis. l. c. p. 432. — Fallopius Luis. l. c. p. 794. — Rinus Luis. l. c. p. 982. — Monardes Simpl. med. p. 345. Sennertus oper. Tom. 5. de arthrit. c. 7. p. 178. Soleander Conf. med. Sect. 4. p. 410. — Contra quae mala partim lignum in Decocto, partim et praecipue gummi-resina gvajaci in pilulis vel in solutione spirituosa adhibita fuere. Celebratissima erat formula Cl. Emerigonis Caussidici regis Galliae: R. Tassiae pintas tres (hoc est, libras medic. quatuor) Gummi Gvajaci Unc. duas. Solv. in ampulla bene clausa, radiis solis per septem vel octo dies exposita, identidem illam agitando, filtratum demum per gossypium vel chartam bibulam, liquorem immitte ampullis sveltis probe obturandis. Dosis hujus assignatur cochlear unum majus quovis mane sumendum. Spécifique contre la goutte éprouvé et publié par M. Emerigon, Procureur du Roi en la Jurisdiction Royal et au Siège général de l'amirauté du Bourg St. Pierre 1778. — Mox loco menstrui spirituosissimi mucilaginosum substituebatur sequenti formula, cujus praestantiam ill. a Berger, in nya Vet. Acad. Handl. p. 73 experientia confirmavit: Rpp. Gummi gvajaci *Unc. semis*, Gummi arab. *drachm. duas*. Bene trita solve in aquae Hyssopi *Unciis novem*. Add. sacchari *Unc. semis*. M. D. Solutio, cujus duo cochlearia majora mane et vesperi capiantur, superbibendo libram unam decocti hordei perlati vel avenae. — Praecipue placuit in his morbis Thedenio connubium gummi gvajaci cum saponem: Gummi Gvajaci scilicet *uncia una* cum saponis amygdalini *drachmis duabus* in

pilulas redigitur, quarum mane et vesperi drachma dimidia vel scrupuli duo ingerantur, initium a scrupulo uno faciendo et augendo dosim, donec alvus mollescat. Neue Bemerk. u. Erfahrung. a. d. Wundarzneyk. und Arz. P. 2. p. 204. — Alia praeterea gumi gvajaci connubia cum Antimonialibus, Assa foetida sale volat. Cornu cervi, pro vario malorum arthritidem comitantium satellitio, concedebantur. — Praeter morbos hosce graves, quorum felicissime hoc pharmaco curatorum historias in fastis medicorum innumeras legere est, multum adhuc olim in diathesi pituitosa, malisque inde oriundis, uti coryza perpetua, screatu, asthmate, fluore albo, difficultate mingendi, dejectionibus mucosis per alvum, leucophlegmatiis, glandulis colli infantum tumidis: Kuchleri Dissertatio de gland. coll. puer. tumefact. p. 27. — In connubio lactis decoctum contra febrim hecticam. Lösecke Arzneym. Ed. 4. p. 178. — phthisim tuberculosam, et pituitosam; praeterea in cancro Love in med. Essays et Observ. of Ed. vol. 5. p. 29. In exanthematibus denique variis cutis chronicis, et tineae speciebus virtus gvajaci depraedicabatur.

His ita perpensis, mirandum sane est, pharmacon ita efficax a moderni aevi medicis tantopere negligi; — cujus rei ratio cum in ignorantia circumstantiarum usum hujus remedii admittentium ac exigentium posita esse videatur: non inutilem nos adgredi laborem opinamur, dum vires ejus secundum modernum Pharmacologiae statum palam facere adnitimur.

Ut virtus, qua gvajacum pollet, rectusque illud adplicandi modus clare pateat, pervestigatio ejusdem 1) respectu *chemico-pharmacologico* instituenda, et postmodum in morbos, contra quos idem pridem imprimis laudatum et adhibitum fuit, moderno autem tempore commendatur, quin in usum convertatur, syphilidem quippe et arthritidem, inquirendum, examen adeoque 2) *pathologico-therapeuticum* instituendum erit. — Quoad

1-um *punctum*: nihil est, quod longius moremur, quodsi enim vim gvajaci medicam a habitu ejus chemico metiamur, ut hic simplex admodum est, talis et illa sit, necesse est. Remedium nempe, cujus partes

constituentes efficaces, In substantia quadam acri, resinosa, ac balsamica, vim stimulantem ac quidquam calefacientem exserente, cum pauxillo materiae extractivae juncto sitae sunt: nonnisi statui processus vegetativi morboſo characteris torpidi convenire potest. Atque reipsa hujus asserti veritati suffragatur praxis medica, in ejusmodi statibus pathologicis, si non unicum et specificum quasi, insigne tamen ac summe proficuum adjuvans medicamentum in gvajaco agnoscens. Praecipua ideo vis ejus medicatrix laude fertur in morbis abdominis, glandularum, organorum glandulosorum, membranarum mucosarum, et in genere Systematis dermatici, atonicis; hinc contra infarctus, statum pituitosum, scrophulas, exanthemata chronica, et alios diversissimos ex his fontibus promanantes. — Apprime vero notes, oportet: 1) Gvajacum in dictis nunc casibus non ut pharmacon proprium, certum, verum ut bonum inter multa alia *adjuvans* considerandum esse. 2) Syphilidis ac arthritidis, contra quos morbos gravissimos eximiam gvajacum exserere virtutem constat, naturam in atonia processus vegetativi fundatam haud esse; quare ad relationem horum morborum ad Gvajacum eruendam practicis opus esse argumentis. — Quod igitur examen

2-um, *pathologico-therapeuticum attinet:*

a) *Syphilis*, morbus coitu immundo oriundus (vicia obscenarum partium Celsi) est antiquissimus, a scriptoribus priscissimae aetatis magis vel minus clare descriptus. Morbus iste originarius, prout et Syphilis moderna, quoad naturam est morbus vegetationis, etquidem organorum sexualium, qui initio est inflammatorius cum characterem lymphatico, mox autem inflammatione evanescente in specie cachexiae compareret. Syphilis originaria, quae contagio sui generis propagabatur, mitioremque prae se tulit naturam, conubium cum lepra orientali, per expeditiones cruciatae, Maurorumque in Hispania dominium, ingressa, insigniter exasperabatur, inde enim contagium ejus majorem inficiendi vim nactum est, Syphilis majus portendebat periculum, et denique vis ejus ad Systema osseum ac cutaneum imprimis convertebatur. Quae syphilidis cum lepra consociatio minime erat transito-

ria, extendebatur enim ad hodiernum usque diem, in Hispania, ubi lepra orientalis imprimis adhuc dominatur, altum praecipue extollens caput. Unioni huic syphilidis cum lepra fine Saeculi 15-i etiam typhus contagiosus, tunc vel maxime grassans, se adjunxit, ast conditionibus evolutioni ipsius faventibus mox cessantibus, hanc societatem ex integro deseruit. — His pro clariori rei conspectu praemissis, gvajacum illi praeprimis syphilidis speciei respondet, qui characterem leprosum eminentiori gerit in gradu, id est, in qua praecipuam morbus sibi sedem in Systemate cutaneo ac osseo fixerit. De veritate hujus asserti practica quivis medicus sani judicii, in cura dictae speciei syphilidis inveteratae semet convincere potest. Unde etiam intelligitur, quare gvajacum Saeculo XVI. tam universali potiebatur laude, cum nempe tempore illo in syphilide character leprosus originario syphilitico praevaluisset, plus gvajacum, quam vel efficacissimus mercurii usus praestitit. Ut quis de hac re plene convincatur, perlegat Panegyricum Equitis Ulrici ab Hutten de gvajaco, descriptionemque ejus super cura mercuriali horrenda, cui semet undecies absque ullo subjecit effectu. — Quod qui intellexerit, facile perspiciet, quare serius vi leprae fracta, pristinum suum locum gvajacum tueri non potuerit, quod tamen hodiernum in illis casibus, cum syphilis morbum cutaneum vel Systematis ossei sistit, id est, ubi elementum leprosum praedominatur, egregiam prodit efficaciam. — Insignem etiam exserit gvajacum vim in morbo mercuriali, effreni hydrargyri usu producto, cum igitur plures cachexiae fatale ingrediuntur connubium; quae ejus efficacia jam ex consideratione partium illius constituentium perspicitur. Cum nempe harum ope illud in morbis vegetationis characteris torpidi plurimum posse superius enunciassemus: idem etiam cachexiae mercuriali, quae in illo vegetationis statu radicatur, adversum esse, sponte sequitur.

b) Arthritidem, quin pathologicis nos profundius, quod hujus loci non est, immittamus, quoad essentiam ejus pro morbo nervoso Systematis plastico-nervosi, ex quo abnormis Systematis plastici quoad indolem mutatio, etquidem in directa cum evolutione morbi

ratione, necessario procedit, declaramus; quantitas vegetationis in hoc morbo longo tempore illaesa perstare potest, in exordio saltem hujus non decrescit, quin saepe augeri videtur, tandem utique etiam quantitas vegetationis in sphaeram status morborum tracta, decrementum sui patitur, unde cachexia nascitur arthritica, quae sicut cachexia quaevis pro statu illo morbo, ex quo primam cepit originem, pro arthritide pura, genuina haberi nequit. — In cura itaque arthritidis rationabili, pro ratione evolutionis ejusdem sequentes tres generales se offerunt indicationes: 1) ut essentiale arthritidis momentum, morbus nempe nervosus systematis plastico-nervosi delectatur; 2) sequelae arthritidis immediatae, id est, abnormis processus plastici quoad qualitatem status, sufferantur; 3) denique sequelae arthritidis mediatæ, id est, morbosa vegetationis quoad quantitatem mutatio, tollantur. — De cura paroxysmi arthritici seu de crisi et lysi arthritidis nihil est, quod hic loci dicamus, cum in his gvajacum directe nihil efficere valeat. — Ubi praecipue prima urget indicatio, id est, cum arthritidis illum adhuc tenet evolutionis gradum, in quo ne qualitativae quidem vegetationis turbæ in lucem prodeunt, eo in casu lignum gvajaci continuative, et cum aliis medicamentis fini curae convenienter combinatum, adhibitur, omnem perficit medelam. — Cum vero processus vegetationis eum in gradum perturbatus est, ut secretiones ac excretiones a norma deflecterent, ac cutis imprimis, organaque respirationis ac vegetationis a normali sua functione deviant, sudores glutinosi, acidum spargentes odorem invaderent, imo habituales plane evaderent; maxime proficua erit resina gvajaci, diuturniorem tamen usum non admittens. Ubi tandem eo res devenit, ut processus plasticus etiam quoad energiam labefactus reperitur, aptissimum in Tinctura gvajaci remedium invenimus. Si medicus curam arthritidis in ultimo hocce stadio constitutæ susceperit; rebus ex voto cedentibus, inverso in administratione gvajaci regredietur ordine.

Ex his omnibus sequentes regulas practicas, in usu gvajaci contra diversos morbos a medico observandas, deducimus:

Gvajaci, medicamenti ntpote acris, resinoso-balsamici usua interdicitur in omnibus iis casibus, in quibus vires vitales exorbitant, vel adest quidem adynamia, verum erethistica. Indicatur itaque praecipue gvajacum in adynamia torpida, atque in temperamento phlegmatico. Unde patet aetatem teneriorem rarissime admittere hocce remedium, usumque ejus in illa, si quando conceditur, summa cum circumspectione, instituendum esse.

2. Gvajacum, seu qua remedium excitans, stimulan, ac calefaciens, seu qua nervinum, id est, qualitatem processus vitalis morborum immutare valens, spectetur, efficaciam suam unice in sphaera factorum processus plastici exerit, hinc nonnisi in morbis organorum vegetationis, dictum (Nro 1.) characterem gerentibus cum fructu adhibendum. Atque reipsa Gvajacum optato eo magis respondet scopo, quo magis textus affecti soli vegetationi dicati sunt, quare in morbis glandularum, et organorum glandulosorum, in morbis praeterea Systematis dermatici, imprimis membranarum mucosarum et fibrosarum, notam atoniae ostendentibus. Unde conceptu haud difficile erit, quare gvajacum non tantum inutile, sed plane noxium se ibi exhibeat, ubi processus vegetationis et organa ejus secundo nonnisi modo, id est, in sequelam statuum morbosorum radices sibi in altioribus systematibus figentium, patiuntur; et hinc etiam intelligitur, quare gvajacum efficacissimum secus contra arthritidem medicamentum, parum efficiat, imo etiam damnum importet in rheumatismo puro, e contra iterum beneficum sit, ubi hic jam jam in arthritidem transire tendit.

3. Gvajacum est remedium, neque ita late extensae, neque ita purae virtutis, ut ab illo solo, ac puro, in quocunque dictorum casuum, omnis exspectari medela possit; ut igitur illud semper cum aliis partim adjuvantibus, partim corrigentibus exhiberi debeat. Per se utique intelligitur addita haec pro diversis statibus pathologicis diversa esse debere. Quamvis vero singulos hoc respectu casus adferre non possimus: unionum tamen gvajaci maxime efficacium, sulfuris nimirum, Rhei, Assae foetidae, ac Valerianae, ad rationes gva-

iaci pathologicas superius expositas reflectendo, mentionem facere, e re videtur.

4. Ut gvajacum debitum effectum salutarem producat, tali forma et combinatione adhibeatur, quibus longiori tempore continuari, ususque ejus pro circumstantiis debite dirigi possit, oportet; quod optime praestari potest, exhibendo lignum gvajaci in decocto, ideoque vel species ad decoctum lignorum, vel quod praestantius adhuc videtur, lignum gvajaci cum carduo benedicto, centaureo minori etc. quibus adhuc sine coctionis calamus aromaticus, vel Imperatoria, vel Chenopodium Ambrosioides etc. addi possunt. — De modis aptis gvajacum in arthritide applicandi necessaria exposuimus. Contra blennorrhoeam bronchiale ac asthma senum; gvajacum cum Lichene islandico et radice Liquiritiae combinatum, optime cedere, casta probat experientia. In genere gvajacum debite cum aliis remediis combinatum, multum in morbis senum potest. Nota est virtus eximia decocti lignorum contra Syphilidem, multum licet hodiernis temporibus negligatur, quod inde pro parte derivari potest, quod indicationes pro hoc remedio in morbo dicto non satis constant, cui tamen defectui nos tractatu brevi, superius inserto, occurrisse censemus; ex quo simul intelliguntur ea, quae de usu gvajaci in morbis cutis ac organorum mucum secernentium eachecticis memoratu digna forent.

5. Gvajacum sine dubio inter maxima ac praestantissima contra scrophulas adultorum remedia referendum est, statu universalis atoniam torpidam arguente; ast in scrophulis infantum, etiamsi dicto caractere universalis notatis, medicamentum est virtutis admodum dubiae, imo, ut observationes repetitae decent, noxium. Quare junioribus imprimis medicis in hocce medicamento, similibus in casibus applicando, summa uti circumspectione necesse est.

Dosis *ligni gvajaci* est unciae semis, — drachmarum sex — Unciae 1 et semis pro nyctemero, forma decocti, cum aliis adjuvantibus, ac saporem corrigentibus. Cum ab usu hujus remedii diutius continuato debita expectari possit efficacia, praecipua sub illius usu in digestionem cura convertenda est, cui providetur partim additamentis aptis, partim regimine di-

aetetico hunc in finem rite coordinato. Duo haec momenta principem merentur attentionem in omnibus iis casibus, in quibus serium aliquis gvajaci usum facere, purumque ac magnum ejus effectum experiri voluerit.

Resina gvajaci exhibetur in forma pulveris, pilularum, vel emulsionis, ex quibus medicus pro diversa aegri idiosyncrasia, et pro diversa earum aptitudine combinationes resinae gvajaci cum aliis medicamentis recipiendi sibi eligere poterit, quare forma pilularis usitatissima est. Doses singulas hamaphagicas satis magnas exhiberi, interstitium vero his dosibus longius interponi, resina gvajaci amat. Dosis media est granorum 6—10 p. d. ter quater per diem, quae dosis pro ratione effectus medicamenti augeri vel imminui potest. Quo majori additamenta vi stimulante ac calefaciente gaudent, eo parciores debemus esse in dosi gvajaci, maxima cum hydragyro, minima cum sulfure poterit expediri. Plurimis in casibus maxime augetur ac emendatur virtus resinae gvajaci medica, connubio ejus cum *Assa foetida*, in quo illa etiam plena dosi perfertur.

Sapo gvajacinus, similem resinae gvajaci effectum prodit, vi tamen solvente longe majori gaudet, remediumque insigne, non satis huc usque aestimatum, est in scrophulis adultorum. Similibus in casibus apte combinatur cum Rheo, Sulfure aurato Antimonii, et extracto Cicutae. Doses singulas majores, quam resina gvajaci, contra minus adhuc, quam haec longiorem admittit usum.

Tincturae gvajaci hodie a medicis nonnisi in arthritide, et quidem longe magis ac merentur, in usum trahuntur. Multum excitando in summo laxitatis ac torporis gradu prodesse, sed neutiquam in seriem specificorum referri poterunt. Tinctura gvajaci volatilis, suo quod continet Ammonio, tincturae resinae gvajaci anteponitur. Dosis media utriusque 20—30 guttarum, 3—5-ies per diem.

T h e s e s.

1. **Experientia vera basim medicinae constituit.**
 2. **Lotii indoles persaepe morbi naturam indicat.**
 3. **Sanguis non solo impulsu externo, sed propria etiam vi (motus sanguinis internus) movetur.**
 4. **Gas acidum carbonicum, e pulmonibus expiratum, non in pulmonibus, sed in universo generatur corpore.**
 5. **Medicum mente non tantum, sed et animo ex-cultum esse oportet.**
 6. **Productio et reproductio contagiorum optime cum generatione comparari potest.**
 7. **Therapiam praecipue natura morbi dirigere debet.**
 8. **Medicum in morbis acutis Marcellum strenuum, in chronicis vero Fabium cunctatorem agere oportet.**
 9. **Functio hepatis functionem pulmonum adjuvat.**
 10. **Mutationes anni temporum maxime pariunt morbos. Hippocrates.**
 11. **Methodus antagonistica in nevrosibus praecipuum sibi vindicat locum.**
 12. **Regimen diaeteticum praecipuum in curandis morbis meretur attentionem.**
-

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

PNEUMONORRHAGIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

ET

CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM

PRO

**DOCTORATUS MEDICINAE
LAUREA**

RITE CONSEQUENDA

IN REGIA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE HUNGARICA

CONSCRIPSIT

ANTONIUS STEINER,

HUNGARUS BIHARIENSIS.

**In Theses calci adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die Augusti 1834.**

PESTINI,

TYPI JOSEPHI BEIMEL.

T h e s e s.

1. **Experientia vera basim medicinae constituit.**
 2. **Lotii indolens persaepe morbi naturam indicat.**
 3. **Sanguis non solo impulsu externo, sed propria etiam vi (motus sanguinis internus) movetur.**
 4. **Gas acidum carbonicum, e pulmonibus expiratum, non in pulmonibus, sed in universo generatur corpore.**
 5. **Medicum mente non tantum, sed et animo ex-cultum esse oportet.**
 6. **Productio et reproductio contagiorum optime cum generatione comparari potest.**
 7. **Therapiam praecipue natura morbi dirigere debet.**
 8. **Medicum in morbis acutis Marcellum strenuum, in chronicis vero Fabium cunctatorem agere oportet.**
 9. **Functio hepatis functionem pulmonum adjuvat.**
 10. **Mutationes anni temporum maxime pariunt morbos. Hippocrates.**
 11. **Methodus antagonistica in nevrosibus praecipuum sibi vindicat locum.**
 12. **Regimen dieteticum praecipuum in curandis morbis meretur attentionem.**
-